

50-5-26

E X P O S I T I O JURIS PONTIFICII

JUXTA RECENTIOREM ECCLESIAE DISCIPLINAM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

A U C T O R E
UBALDO GIRALDI
A SANCTO CAJETANO

Clericorum Regularium Scholarum Piarum,
APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,
ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

P A R S P R I M A.



R O M A E, M D C C L X I X.
EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI
IN VIA CORSUS

S U P E R I O R U M F A C U L T A T E.

JOSEPH MARIA A S. JOANNE BAPTISTA

Clericorum Regulorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum

P R A E P O S I T U S G E N E R A L I S.

Cum Librum, cui Titulus: **EXPOSITIO JURIS PONTIFICII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIAE DISCIPLINAM**, Auctore Ubaldo Giraldia S. Cajetano, Ordinis nostri Sacerdotis, Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici Rectore, duo ex nostris, quibus commissum fuit, recognoverint, ac probaverint; ipsius edendi facultatem, quantum in nobis est, Auctori concedimus.

Datum Romæ in Aedibus nostris Scholarum Piarum, apud S. Pantaleonem die 7. Augusti 1767.

Joseph Maria a S. Joanne Baptista, Praepos. Generalis.

Reg. fol. 121.

Loco & Sigilli.

Theodosius a S. Anna, Secretarius.

A P P R O B A T I O N E S.

Opus, cui Titulus: *Expositio Juris Pontificii, juxta recentiorem Ecclesiae disciplinam*, attinge perlegi, nec in eo quidquam offendit, quod ejus editionem remorari posse videatur: immo, cum magna in ipso eluceat eruditio, & singula Ecclesiastica Disciplinae immutaciones, quæ in Jurisprudentia Sacra pastum occurrant, gradatim, & dilucide exponantur, summo labore collectæ, tam ex Concilio Tridentino, quam ex Constitutionibus Pontificum, qui nonnullas, licet a Prædecessoribus rationabiliter ordinata, tamen, suadente utilitate, vel revo- care, vel in melius commutare consueverunt, Typis dignissimum censeo, si Reverendissimo P. Sac. Pal. Magistro videbitur, ut ex hoc Opere Respublica literaria sub oculos habeat novissimi Juris regulas, sive in judicando, sive consulendo, aut docendo, tuto sestandas, semperque magis celebret nomen Auctoris, rem palam exhibeat, a nemine haec tenus peintractata, desiderandam tamen, & admirandam cunctis. Romæ hac die 12. Maii 1768.

Darius Guicciardi, in Sapientia Archigymnasio J. U. Professor Publ.

JUSSU Reverendissimi Patris Sac. Palat. Apostol. Magistri, qua potui diligentia, perlegi Opus quod inscribitur = **EXPOSITIO JURIS PONTIFICII JUXTA RECENTIOREM ECCLESIAE DISCIPLINAM IN DUAS PARTES DISTRIBUTA**, Auctore Ubaldo Giraldia S. Cajetano Cler. Reg. Scholar. Piarum, Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici Rectore = Nilque in eo deprehendi, quod vel Fidei Dogmatibus, vel Regulis morum adverteretur. De utilitate vero hujus Operis, non est quod differam. Hic potro quadrat quod scripsit Ulpianus libr. 10. ad Edict. relatus in leg. 1. D. de In integr. restitut.: *Utilitas hujus Tituli non eget commendatione; ipse enim se ostendit: Auctor igitur sum, ut Opus hocce bono publico quamcunque typis committatur.* Romæ die 3. Mensis Octobris 1768.

Franciscus Mazzei, in Romana Curia Advocatus.




P A R S P R I M A

*In qua continentur Variationes Decretalium Gregorii IX. Sexti, Clementinam,
& Extravagantiam, servato ordine Librorum, & Titulorum,
quibus eadem Variationes accesserunt.*

EX LIBRO I. DECRETALIUM

TITULO PRIMO

DE SUMMA TRINITATE



S E C T I O I.

CAPUT I. FIRMITAS ex Decretali Innocentii III. in Consilio
generali Lateranensi IV. celebrato Anno 1215.

¶.I. **F**IRMITAS credimus, & simpliciter confitemur, quod unus filius est verus Deus, aeternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales, & coequales, & coomnipotentes, & coeterni: unum universorum principium: creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem: Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim, & alii demones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt malii. Homo vero diaboli suggestione peccavit. Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen, & Sanctos Prophetas, aliasque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano genere tribuit salutarem.

¶.II. Et tandem Unigenitus Dei filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstravit, qui cum secundum civitatem fit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis, & passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, & ascendit in coelum, sed descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque: venturus in fine seculi, judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, que nunc gestant, ut recipient secundum opera sua, five bona fuerint, five mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

Tom. I.

A

§.III. Una